

postea duplicis originem nominis cepisse Eutropius tradit, ut alii Ost-Gothi, West-Gothi alii dicerentur. Ost-Gothos ab Hunnis ex Sarmatia Asiatica erumpentibus, gente immani & barbara, agro pulsos. Valens Romanorum Imperator ad se confugientes, trans Danubium collocavit. Quo facto West-Gothis ejusdem periculi metu sollicitis, eodem se conferendi causam dedit. Vestigia siquidem suorū popularium mox secuti, cum invito etiam Imperatore, in dexteram Danubii ripam, naviculis & ratibus trajecti, & Ost-Gothis adjuncti fuissent, amplam occasionem non solum Thraciam, sed Pannoniam quoque Sirmiensem & Illyricum occupandi sunt nacti, variisque deinde prœliorum casibus jactati, modò victi, modò victores, tandem in amicitiam Imperatorum recepti, conditione quidem & nomine Sociorum, stipendiorum verò pactione, & re ipsa mercenarii milites fuere.

§. 6. Duæ erant familiæ, genere & nobilitate in Gothorum gente facilè primæ, altera Baltorum, Ammalorum altera. Hæc Ost-Gothis Thraciam tum tenentibus:

bus: